INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM

JAGELLONICA

INDE

A DIE 1 NOVEMBRIS ANNI MDCCCXLVIII

USQUE

AD MEDIUM MENSEM JULIUM ANNI MDCCCXLIX

HABENDARUM.

CRACOVIAE

TYPIS UNIVERSITATIS JAGELLONICAE.

JOSEPHUS MAJER
UNIVERSITATIS STUDIORUM JAGELLONICAE CRACOVIENSIS
RECTOR
CUM
SENATU ACADEMICO
CIVIBUS LITERARUM STUDIOSIS S.

In numero medicorum, qui medio XVImo seculo in Polonia floruerunt, principem procul dubio locum obtinent Valentinus Fontanus et Valentinus Lublinensis (Lublinum se ipse appellabat); quorum ille publice docendo, is operibus editis ad propagandam artis medicae scientiam non parum contulerunt. Sed de illo alias; nunc de Lublinensi nonnulla Vobiscum communicabimus. Ac de vita quidem fatisque ejus nihil adhuc investigare amplius potuimus praeterquam quod Doctor fuerit Philosophiae et Medicinae, ut credimus, in Italia factus; quo a. 1547 profectus per septem annos in variis academiis doctrinae augendae sedulo operam navabat (ut ipse testatur in Consultationibus Montani ([1]); namque jam ante Cracoviae medicinae eum studuisse ducibus Bar-

([1]) Jam septimus agitur annus postquam in Italia vitam traducere coepi in studiis literarum, doctissimos tum philosophos tum medicos in variis academiis audiens.

tholomaeo Sabino et Petro Posnaniensi ex praefatione ejusdem operis valde verisimile fit.

Quod ad opera attinet, eorum duplex est genus; siquidem alia ipsius industriae debentur, alia ab aliis auctoribus conscripta et ab eo edita. De illis a Czackio nonnisi mentio facta et a Bentkovio repetita est; horum nisi integrum corpus (quod credimus), at certe longe plura, quam in vulgus sunt nota, in bibliotheca nostra reperiuntur. De his igitur accuratius nobis disputare licebit, quam id ab aliis fieri potuit; de illis, quae ab aliis dicta passim inveniuntur, paucis indicabimus.

Ac primum quidem genus haec continet:

1) *De causis ineptiae ad statum matrimonii A. 1545.* Hoc opus, cujus multi meminerunt, soli Czackio cognitum fuisse videtur, neque tamen ab eo satis accurate descriptum, ut de quo non edocemur, sitne therapeutici argumenti, an quod ad medicinam forensem referatur; quamquam ex iis verbis, quibus superstitiosam credulitatem Valentini deridet theologicas rationes medicinae admiscentis et formulas ingentis moduli medicamentorum praescribentis, quibus et particula cadaveris medicati (mumiam vulgo appellant) adjici jubetur; et (quod in opere de legibus Lithuaniae et Poloniae vel maxime expectares) vix quidquam adfert, quod ad usum forensem pertineat, conjici posse videtur, therapeutico generi adnumerandum esse.

2) *De variis morbis eorumque medendi ratione cum praefatione ad* Joannem Zamoscium 1592. Ex hoc opere, lingua polonica conscripto, Czackius nonnulla affert; videlicet: „mutatione morum novos morbos induci, praecipue autem feminas ad anilitatem citius pervenire,“ tum autem „de mutatione status coeli ex frigido in calidum transeuntis, de celeriore maturitate hominum, et de necessitate protrahendi temporis connubii.“ E Siarczyńscii judicio, quod de hoc

opere tulit non e Czackio petitum, „Valentinum more suae aetatis de morbis et medicamentis ut philosophum disputasse," induci posse videtur, ipsum vidisse atque legisse. Quod tamen nec locum, nec annum, quo sit editum, indicarit, Czackii quoque indicatio anni prioris operis in dubium vocatur, a Bentkovio potissimum, cui mirabile videtur, inter editionem primi et secundi operis ad quinquaginta annos intercedere potuisse. Auget dubitationem, quod Valentinus anno demum 1547 in Italiam est profectus eo consilio, ut se in medicina perficeret; atque in praefatione ad supra allatas Montani consultationes tantum abest, ut ullius a se editi operis mentionem faciat, ut contra polliceatur se aliquando tandem aliquid de suo editurum. Quamquam negari non potest, quum jam ante iter Italicum Cracoviae medicinae studuisset, opus quoque aliquod vulgare potuisse. Quod ad locum editionis alterius operis attinet, Terleckius (2) Cracoviam denotat; conjecturane, an quod ita scriptum viderit, nescimus.

Praeter haec duo opera Valentini Lublinensis tertii quoque mentionem facit Dr. Gąsiorovius (3), videlicet *Dissertationis Pedemontani de arte medica cum suis annotationibus* 1574, 1581, 1597, idque praeeunte Siarczynscio. At nobis paene persuasum est, in errore versari Siarczyńscium, quum Pedemontanum fecerit e Montano, cujus opera a Valentino Venetiis edita constat. Hujus rei documento esse potest, quod de hac notissima editione Montani Siarczyńskius plane silet, nec unde de Pedemontano compertum habeat, indicat. Possit quidem de conjectura hac nostra quisquam dubitationem inferre, quod annorum supra allatorum ratio cum editione operum Montani, quam bibliotheca Cracoviensis possidet, non conveniat; huic respondemus, agi hic posse de aliqua seriore editione nobis

(2) In libro a se edito, qui consilia continet feminis tempore graviditatis profutura.
(3) In collectaneis ad historiam medicinae in Polonia pertinentibus p. 218.

ignota. Quamquam ne id quidem verisimile nobis videtur, praesertim quod ad annum postremum attinet, quum jam anno 1587 cuncta Montani opera in unum corpus ordine digesta cura Weinrichii prodierint.

Hactenus de Valentino Lublinensi operum auctore, nunc de editore agemus.

Ac primum quidem paulo superius mentio facta est, edita ab eo fuisse opera Montani, medici et professoris in Italia nobilissimi; cujus exponendi ratio adeo omnibus probata fuit, ut ejus scriptis non tantum post mortem divulgandis auditores sedulo operam navarent, sed etiam dum adhuc in vivis esset, videlicet a. 1550, pars ea, quae est de medicamentis, cura Lucae Stenglin Augustani Patavii typis descripta sit. Posteriori vero tempore iis edendis multi vacarunt; (1) in quorum numero Valentini nostri non vulgaris laus est. Et causas quidem, quibus impulsus fuerit in Consultationibus Montani exponit ipse: „Inter medicos, ait, quos audire id temporis mihi concessum est publice profitentes, unum J. B. Montanum veronensem, virum tum singulari doctrina, tum morum sanctitate ac probitate ornatissimum, diligenti cura et attentione summa semper audivi, atque incredibili amore prosecutus sum et colui. Ex quo factum est, ut illius dogmata omnia, non solum memoriae sed etiam scriptis commendata, veluti quosdam thesauros antiquissimos et pretiosissimos conservare studuerim, ne aliqua temporis iniuria intercidere . Siquidem sperabam medicinae candidatis aliquando non mediocriter esse profutura. Utilitatem igitur hanc diutius differri honestum esse non putavi, postquam ille de vita decessit, non sine maxima iactura totius artis medicae. Diligenter igitur curavi, ut in vulgus exirent, non aurae popularis et inanis gloriolae aucupandae gratia, sed adjuvandi potius

(1) Ut Casalis, Donzellini, Crato, Weinrich.

causa nostra studia, quae quotidie in pejus ruerent, nisi a Montano et ejusdem ordinis medicis sustentarentur adversus inscitiam quorundam imperitorum, qui artem medicam potius remorantur quam promovent.“ Ex quibus verbis patet, editorem id egisse, ut quae ex ore docentis Montani accepisset, fideliter redderet (5). De hac editione quum nostri scriptores parum accurate exposuerint (6), nostrum igitur, quibus in bibliotheca nostra septem Montani opera a Valentino vulgata inspicere et perlustrare contigit, officium esse ducimus, uberius de iis exponendi.

1) Jo. Baptistae Montani Medici veronensis: In tertiam primi Epidemiorum sectionem explanationes a Valentino Lublino Polono collectae. Venetiis apud Balthassarem Constantinum ad signum divi Georgii. MDLIIII. Titulus, dedicatio cum praefatione Monnetae explent folia 8, ipsum opus 260. Dedicatum est opus Lucae Górka Castellaneo brzesciensi Patavii die 6 Septembris 1554. Praefatio continet nonnulla de vita Montani scitu digna.

2) Jo. Baptistae Montani Veronensis: In nonum librum Rhasis ad Mansorem regem Arabum expositio; a Valentino Lublino Polono medicis posteritatique eorum fideliter communicata. Venetiis apud Balthassarem Constantinum ad signum divi Georgii. MDLIIII. Hoc opus constat foliis 344, praeter

(5) Vide tamen, quae infra adtulimus ex praefatione libri de excrementis. (Num. 3).

(6) Doctor Gąsiorovius in libro supra allato, praeeunte Terlecio (vide supra notam 2), meminit ejus hac inscriptione: *Opera medica* J. B. Montagni, *Venetiis* 1554. Medicus quidam in ephemeridibus, quae inscribuntur: imagines et disquisitiones literariae (Vide *Wizerunki i roztrząsania naukowe*, *Wilno* 1840, *Tom* 12 *pag.* 136), partem bibliographicam operis Gąsiorovianii supplens duos affert titulos, quos infra invenies in recensione nostra sub num. 4 et 6. At longe prius Jocher in bibliographia et adumbrata historia literarum in Polonia (*Obraz bibliograficzno-historyczny literatury i nauk w Polsce, Wilno* 1840. *T. I. pag.* 30), unius eorum mentionem fecit.

titulum, dedicationem et praefationem, quae explent folia 8. Dedicatum est Cardinali JOANNI POGGIO. In fine tituli: Venetiis Calendis Julii 1554. Ad hoc opus edendum impulsum se dicit VALENTINUS ab JOANNE de LUCA, qui POGGIO erat sanguine junctus, et BASSIANO praeceptore suo. In praefatione autem laudat NICOLAUS RONTANA industriam VALENTINI, cujus in exercenda arte medica collega fuit Patavii, Venetiis, Florentiae et Romae.

3) JO. BAPTISTAE MONTANI veron. philosophi ac medici excellentiss. De Excrementis Lib. II. a VALENTINO LUBLINO polono in studiosorum communem utilitatem dati. Alter de Fecibus, Alter de Urinis. Quibus accessit quaestio eiusdem quomodo medicamentum aequale vel inaequale dicatur. Tractatus etiam utilissimus de morbo gallico. Venetiis, apud Balthassarem Constantinum MDLIV. Hoc opus charta octonaria editum habet post titulum dedicationem uno folio descriptam, singuli autem tractatus peculiari numerorum serie sunt signati. Dedicans opus STANISLAO TENCZYNSCIO Patavii quarta Nonas Decemb. 1554 declarat, se hanc editionem eo consilio suscepisse, ut, quae MONTANUS tradidisset de loco HIPPOCRATIS, qui est de evacuationibus, accuratius, quam adhuc sit factum, exposita legerentur. Has observationes in duos libros divisit, in quorum altero de fecibus agitur, in altero de urinis; sic enim pergit: „ita confusas in unum corpus offendi, ut mihi necessarium fuerit non solum in libros, sed etiam in capita distribuere praesertim librum de Urinis, cui multa subtraxi minime necessaria, et nonnulla addidi, quae praecisa esse cognovi. Librum autem de fecibus, qui nondum exierat in vulgus ea diligentia, qua potui, et castigavi et expolivi.“

4) JO. BAPTISTAE MONTANI veronensis: In artem parvam Galeni explanationes a VALENTINO LUBLINO polono editae. Vene-

tiis cet. 8vo. Opus explet 400 folia, reliqua 16; dedicatum est Stan. Tenczynscio Woivodae Sandomiriensi Venetiis mense Septembri 1554; unde patet, eodem quidem anno, quo praecedens, tribus tamen mensibus prius, quam illud, prodiisse et Tenczyscio missum fuisse. Jocherus l. s. c. tradit, in Fabricii bibliotheca graeca alias quoque editiones allatas esse; sed fallitur. In nostra bibliotheca reperitur editio altera Lugdunensis apud Frellonium 1556 forma tantum differens ab editione anni 1554 dimidio minore, quam haec est. Paginas habet ut conjicimus 976; in libro enim, qui nobis ad manus erat, aliquot paginae deerant.

5) Jo. Baptistae Montani medici veronensis in libros Galeni de arte curandi ad Glauconem explanationes. Venetiis cet. 8vo. Constat foliis 562, praemissa explent f. 8. Inscriptio caret editoris nomine, sed dedicatio ad Sigismundum Augustum, quae scripta est Patavii Cal. Febr. 1554, eum indicat.

6) Jo. Baptistae Montani medici veronensis: Consultationum medicinalium centuria prima a Valentino Lublino polono quam accurate collecta. Venetiis in officina Erasmiana apud Vincentium Valgrisium MDLIV. 8vo. Praemissa operi et index explent paginas 8, opus ipsum non 628, ut ex ultimae paginae signo videtur, sed 592. Errorem enim observavimus paginas indicantis, quod post pag. 448 posuerit 485. Est haec igitur ea editio, quae duobus annis post in eadem officina hoc errore emendato iterum prodiit. Dedicatum est opus Nicolao Radivillo Woivodae Vilnensi, Mareschalco et Cancellario Lithuaniae, et quidem Bononiae Cal. April. MDLIV, continet autem consilia de vitandis et pellendis morbis data a Montano generosis tum viris, tum feminis, in quarum numero principem locum obtinet Regina Bona Sigismundi I. uxor. Num reliquas quoque centurias ediderit Valentinus, quod se praestiturum in prae-

fatione hujus pollicetur, nobis quidem ignotum est. Ad annum certe 1559 nil tale praestitisse vel inde patet, quod Crato medicus Vratislaviensis suam secundae centuriae editionem hoc anno in eadem officina Erasmiana paratam primam esse appellat.

7) Jo. Baptistae Montani medici veronensis opuscula. I. De characterismis febrium. II. Quaestio de febre sanguinis. III. De uterinis affectibus; a Valentino Lublino polono collecta. Venetiis apud Balthassarem Constantinum ad signum divi Georgii MDLIV. 8vo. Post titulum dedicatio est tribus foliis conscripta Bononiae Calend. Septembr. 1554 ad Joannem Uchanscium episcopum Culmensem; opus autem ipsum explet folia 100. In fine praefatio est ad lectorem unius folii, ad cujus calcem haec leguntur: Venetiis Joannes Gryphius excudebat ad instant. Balthasaris Constantini MDLIV.

En igitur Vobis, Auditores ornatissimi, novum ac firmum documentum, omni aetate fuisse in Polonia Viros, qui vitae suae tempus in literis artibusque colendis ac propagandis consumerent, persuasum habentes, ita se non modo patriae, sed et universo generi humano plurimum prodesse. Horum exempla Vos ut sequamini, Deum O. M. pia mente comprecor. Valete.

ORDO THEOLOGORUM.

LEO LAURYSIEWICZ

S. TH. D. P. P. O. ORDINIS THEOLOGORUM H. T. DECANUS.

Tradet Theologiam pastoralem, Catecheticam, Didacticam et eloquentiam sacram diebus Lunae, Martis, Veneris et Saturni h. 9—11, item diebus Saturni h. 2—3 pom.

CAROLUS TELIGA

S. TH. D. P. P. O.

Historiam ecclesiasticam et Patristicam explanat quotidie exceptis diebus Saturni h. 11—12, post meridiem autem diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. 2—3.

IGNATIUS PENKA

S. TH. D. P. P. O.

Institutiones dogmaticas diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. 11—12; ethicas vero iisdem diebus excepto die Veneris h. pom. 5—6 profitebitur.

FELIX SOSNOWSKI

S. TH. D. P. P. O.

Profitebitur haec: 1) semestri hiberno, archaeologiam biblicam diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. 8—9 mat.; introductionem

in libros veteris foederis, item linguas orientales (syriacam, chaldaicam, hebraicam et arabicam) d. Lunae et Veneris h. 9—10; item d. Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. pomer. 3—4; 2) iisdem diebus et horis hermeneuticam, introductionem in libros novi foederis et expositionem librorum sacrorum; jam vero exegesin sublimiorem die Veneris h. 9—10 mat.

ORDO JURISCONSULTORUM.

LAURENTIUS SOSWIŃSKI

J. U. D. PR. P. O. ORDINIS JURISCONSULTORUM H. T. DECANUS.

Codicem civilem et judiciarium nec non mercantilem gallicum etiam nunc obligantem quotidie ab h. 11 ad 12 et praeterea diebus Martis et Saturni h. 12—1 docebit.

FELIX SŁOTWIŃSKI

PH. ET J. U. D. PR. P. O.

Jus canonicum diebus Lunae, Martis et Mercurii h. 9—10, processum judicialem Austriacum d. Jovis, Veneris et Saturni iisdem horis; jam vero praxin judicialem semestri aestivo h. 4—5 pom. profitebitur.

IGNATIUS HAMMER

J. U. D. P. P. S.

Jus civile Austriacum diebus Martis, Jovis et Saturni h. mat. 11—12, vectigalium administrandorum doctrinam d. Lunae et Martis h. pom. 4—5 explicabit. (Vide inf. Helcel.)

VINCENTIUS SZPOR

J. U. D. PR. P. S.

Disciplinas politicas quotidie exceptis diebus Jovis et Solis h. pom. 3—4, Statisticam d. Saturni h. pom. 2—3, jus denique cambiale et mercantile d. Martis et Veneris eadem hora exponet.

JOAN. STEPH. HIER. RZESIŃSKI

PH. ET J. U. D. PR. P. S.

Encyclopaediam juris, item jus naturae et jus criminale profitebitur quotidie hora pom. 3—4¼.

ANTONIUS SIGISMUNDUS HELCEL

J. U. D. P. P. S.

Jus antiquum polonicum ejusque historiam tradet quotidie h. 10—11; (interim autem absentis loco exponit Prof. Hammer).

ALEXANDER CUKROWICZ

J. U. D. P. P. S.

Historiam et Institutiones juris romani profitebitur diebus Lunae, Mercurii et Saturni h. mat. 9—10; Pandectas d. Lunae, Mercurii, Jovis et Veneris h. 8—9 mat.

ORDO MEDICORUM

FRIDERICUS HECHEL

M. ET CH. D. PR. P. O. ORDINIS MED. H. T. DECANUS.

Exponet quater per hebdomadem historiam medicinae; et antiquam quidem semestri hiberno, recentiorem aestivo; semel

autem historiam medicinae in Polonia h. 7—8 mat., item medicinam forensem tradet semestri hiberno quotidie h. 1—2; exercitia quoque medico-forensia cum auditoribus instituet; eadem denique hora semestri aestivo politiam medicam explanabit.

JOSEPHUS MAJER

M. ET CH. DR. PR. P. O. H. T. RECT.

Tradet Physiologiam per utrumque semestre quotidie h. mat. 10—11.

JOSEPHUS BRODOWICZ

MED. ET PHIL. D. PR. P. O. INSTITUTI MEDICO-CLINICI DIRECTOR.

Praxin medicam h. 9—10, pathologiam et therapiam specialem h. 10—11 per utrumque semestre docebit.

FLORIANUS SAWICZEWSKI

M. D. PR. P. O.

Pharmaciam tradet per utrumque semestre h. 8—9, chemiam h. 11—12.

LUDOVICUS BIERKOWSKI

PH. M. ET CH. D. P. P. O. INSTITUTI CHIRURGICO-CLINICI DIRECTOR.

Chirurgiam theoreticam, syphilidologiam et medicinam ocularian exponet semestri hiberno; acurgiam vero, desmurgiam, mechanurgiam et chirurgiam practicam semestri aestivo h. 12—1; praxin denique chirurgico-clinicam per utrumque semestre h. 11—12.

FRIDERICUS SKOBEL

M. ET CH. D. PR. P. O.

Pathologiam generalem semestri hiberno quotidie excepto die Saturni hora matutina 8—9, post meridiem ter per hebdomadem h. 3—4;

pharmacodynamicen sem. aestivo iisdem diebus et horis matutinis atque pomeridiana 3—4; hodegeticen denique medicam sem. hiberno bis per hebd. h. 3—4.

ANTONIUS KOZUBOWSKI

M. ET CH. D. P. P. O.

Anatomiam elementarem per utrumque semestre quotidie excepto die Saturni h. mat. 9—10; anatomiam comparativam sem. hiberno, histologiam vero sem. aestivo h. 12—1 profitebitur.

JOSEPHUS KWAŚNIEWSKI

M. ET CH. D. P. P. O.

Artem obstetriciam practicam simul cum clinice quotidie h. 8—9; theoreticam vero quater per hebdomadem h. 9—10, semestri hiberno auditoribus medicinae, aestivo autem feminis huic arti operam navantibus exponet; gynaecologiam quoque et paediatriam, illam sem. hiberno, hanc aestivo binis horis 9—10 tradet.

IGNATIUS CZERWIAKOWSKI

M. D. P. P. O. HORTI BOTANICI DIRECTOR.

Botanicam quotidie per utrumque semestre h. 9—10 docebit.

LUDOVICUS ZEISZNER

PH. D. P. P. S.

Semestri hiberno mineralogiam, sem. aestivo zoologiam quotidie excepto die Saturni h. 10—11; item physiograhiam generalem et zoologiam generalem ternis per hebd. horis pom. 2—3, illam hiemali hanc aestivo sem. exponet.

LAURENTIUS DOMAŃSKI

M. ET CH. D.

Medicinam veterinariam theoreticam et practicam binis quotidie horis explicabit.

Auditoribus chirurgiae inferioris exponet pathologiam et therapiam specialem Adjunctus clinicae medicae.

ORDO PHILOSOPHORUM.

JOANNES CANTIUS STECZKOWSKI

PH. D. P. P. O. ORDINIS PHILOSOPHORUM H. T. DECANUS.

Mathesin elementarem profitebitur quotidie h. 8—9, praeterea diebus Martis et Jovis h. 9—10.

MAXIMILIANUS WEISSE

PH. D. P. P. O. OBSERVATORII ASTRONOMICI DIRECTOR.

Matheseos sublimioris cursum 2dum et Astronomiam exponet quotidie h. 11—12.

JOANNES CAJETANUS TROJAŃSKI

PH. D. P. P. O.

Historiam literarum romanarum tradet die Lunae h. 8—10; antiquitates Romanorum enarrabit die Mercurii h. 8—10 et die Saturni 9—10; Terentii fabulas explicabit die eodem h. 8—9; denique Xenophontis opera selecta et Homeri carmina interpretabitur die Veneris h. 8—10

MICHAEL WISZNIEWSKI

PH. D. P. P. O.

Literaturam polonicam ejusque historiam tradet quotidie h. 1—2 pom. historiam literarum universalem d. Lunae et Mercurii h. 2—3 (Interim autem absentis munus vicarius obibit ab ordine propositus).

JOSEPHUS MUCZKOWSKI

PH. D. P. P. O. ET BIBLIOTHECARIUS.

Bibliographiam profitebitur diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. 2—3.

LUDOVICUS STEPHANUS KUCZYŃSKI

PH. D. P. P. O.

Doctrinam physices exponet quotidie h. 10—11, et praeterea d. Lunae, Mercurii et Veneris h. 11—12.

JOANNES STARONIEWICZ

S. TH. D. P. P. S.

Doctrinam Religionis tradet diebus Martis et Veneris h. 9—10, diebus vero Lunae et Mercurii h. 11—12; idem paedagogiam profitebitur d. Martis et Jovis h. pom. 4—5.

JOSEPHUS KREMER

J. U. D. P. P. S.

Psychologiam et Logicam docebit quotidie excepto die Saturni h. 10—11; philosophiam moralem diebus Lunae, Mercurii et Saturni h. 9—10.

VALENTINUS KULAWSKI

PH. D. P. P. S.

Historiam universalem antiquam enarrabit diebus Martis, Jovis, Veneris et Saturni h. 11—12; recentiorem autem d. Lunae, Martis, Mercurii et Veneris h. pom. 3—4.

Matheseos sublimioris cursum priorem tradet Adjunctus Observatorii diebus Martis, Jovis et Saturni h. 10— 11.

Adjuncti Professorum Facult. medicae et philosophicae:

Joannes Cantius Rzesiński Ph. et J. U. D. Adjunctus Bibliothecarii.
Josephus Jaszczurowski M. D. Adj. Directoris instit. chirurgico-clinici.
Michael Zieleniewski M. et Ch. D. Adj. Prof. artis obstetriciae.
Josephus Riedmüller M. D. Adj. Prof. mineralogiae et zoologiae.
Josephus Stanisławski M. D. Adj. Directoris Instituti medico-clinici.
Felix Berdau Pharm. Mag. Adj. Prof. botanicae.
Ignatius Janicki Philos. Cand. Adj. Prof. physicae.
Ignatius Gralewski Phil. Cand. Adj. Directoris observatorii.
Vladislaus Anczyc Pharm. Mag. Adj. Prof. Chemiae.
Leopoldus Krzyżanowski M. C. officio Adj. Prof. Anatomiae fungetur.

Linguas docebunt:

Germanicam Augustus Otremba,
Gallicam Franciscus Obertin,
Rossicam Hieronymus Mecherzyński,
senis per hebdomada horis.

Lectorium in bibliotheca publica Universitatis semestri hiemali quotidie, exceptis diebus festis, ab h. 9—1; semestri vero aestivo ab hora 9—12 et 3—6; — Observatorium Astronomicum ho-

ris 3—6, diebus Jovis et Solis; — Museum Chemicum diebus Veneris ab hora 9—12; Museum Physicum die Saturni ab hora 9—12: Museum Zoologicum et Mineralogicum die Saturni ab hora 1—4 tempore hiemali, aestivo vero ab h. 3—6; — Hortus botanicus quotidie, Museum anatomicum die Saturni ab h. 11—12, patebunt. Hospitibus vero extraneis, qui Musea, Bibliothecam et Observatorium invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummodo tempus praelectionibus sacrum condonare velint.